



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri  
Viginti**

**Della Porta, Giambattista**

**Frankfurt, 1607**

De aquarum extractione, & præcipuè bene olentium. Cap. II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)



igneos, calidosque, qui materiei gremio sident, colluctantis ignis profugantur, quod quum nullum bilis, aut perpetua regula statui possit, pleraque nos notabimus, pleraque solentiori Minerua te oblectare ne pœniteat.

*De aquarum extractione, & præcipue bene olentibus*

C A P. II.

**A**QUARVM extractiones quia vulgares sunt, quibus expediemus. Si odoratas extrahere conueruerit, ex calidis stirpibus, terrosis, & quæ internodiis tota mole odores retinent, hæc sine artificio coniecta, ac subiecto igne, suos odores reddunt, ut

*Rosis floribus aurantiij mali, myrti, & lauendulæ odoratas aquas*

extrahere licebit, ut diximus, & ijs similibus, cum ceteris, tum balneo ex voto uti, sensim tamen ignem adhibendo ne comburantur. Sunt & in stirpibus odoriferæ frondes, ut myrti, lauendulæ, citri, & similibus, quæ cum floribus remiscet, odorem florum non obtundunt immo & gratiam quandam aquis conciliant. Et ex eiusmodi floribus carentibus ex turionibus earum præcipue olentes aquas extractas vidimus, præsertim si prius vase clausa plusculis diebus Soli apricanda trahimus. Iucundi quidem, & haud quaquam spernentur odoris ex basilicæ frondibus aqua exigitur: præsertim si tritati, vel garyophyllati, si leuis balnei calor, sensimque adhibitus eam proleget, & educat, atque Soli insolaranda credatur. Ex azadara floribus, siue pseudosicomoribus sua uolens elicitur aqua, tenuis & spirabilis. Argumentum deprehendendi utrum odores in tota mole, aut superficie, aut alibi sparsa sident, hoc erit, digitis frondes, aut flores coterantur, qui mox olfacti eundem emittunt odorem, aut suauius halant, in tota mole latent odores. Contra uero si quos digitis triueris, non solum natiuo odore orbantur, sed grauius olent, id in superficie tantum summis oris resident odores, qui mox alijs partibus male olentibus remisti, non solum obtunduntur.



tur, sed inolidi fiunt, in his alio distillandi vtemur arti-  
ficio. Exemplum erit

*è garyophyllis, rosis moschatulis, violis, & iasminis,  
& lilijs odoratam aquam exugere,*

Quomodo fieri debeat. Ex syluestribus moschatulis  
rosis leui balnei calore primus exugatur vapor, iisque  
amotis, aliæ superingerantur, nam si diutius coxeris,  
non qui tenuis, & superficie sparsus educitur, sed qui ex  
interno corporis torpet, & minus halat. In hac aqua a-  
liæ rosæ macerentur aliquibus horis, ac abstrahantur,  
nouæ superingerendæ, & quanto id frequentius fece-  
ris, fragantius olet. Sed vase benè clauso, ne tenuis ille  
odor diffletur, & pereat cum aura, & sic ex rosarum mo-  
schi odore suauissimè olentem aquam habebis. Idem  
de iasminis, garyophyllis, lilijs, narcissis, iacinthis, & a-  
lijs faciendum iubemus. Et si in eorum propria aqua  
macerare pertædescit, in rosacea idem præstabit, hoc  
modo huius artis admirantibus artificibus, nec infimæ  
notæ ex his floribus maximo odore fragrantem aquam  
exhibuimus. At quia sæpè solet euenire, vt turpis cre-  
mati nidor aquis inficiat, quum assidentis diligentia  
torpet, docebimus

*quomodo cremati nidor emendatur.*

Quia quæ fundo vasis hærent plus caloris experiuntur,  
quam quæ in summo, vnde & prius quam hæ calorem  
perspicuum sentiant, illæ comburuntur, sæpissimè &  
aqua infesti nidoris graueolentiæ, nares oblædit: ean-  
dem aquam in balneo distillabis leui igne, vt pura aqua  
ascendat, & in imo feces subsideant cum oleo, graui o-  
doris causa. Si vis scire

*quomodo plus aqua ex distillatione re-  
cipiamus.*

Circa pileum plumbeum, vel stanneum ferreæ lamel-  
læ, vel stannæ adglutinantur erectæ, eiusdemque alti-  
tudinis, in imo epistomion imponendum. Quum ser-  
uet vas igni, & expulsi vapores in pilei fornicibus coar-  
ctantur, si calet pileus, denuo in subiectum vas descen-  
dunt, ægrius in bullas vapores cogit, si friget, illico in a-



quam densat, ob id frigida aqua imponēda, vt vaporē cogendo, largiores riuuli in subiectam paropsidem decurrāt. Vbi aqua cum pileo efferbuerit imposita, recluditur epistomium vt calida effluat, & noua frigida induitur. Sicaqua, vt perpetuo rigeat, sæpius interfusa, ac epistomio relaxato eijciunt calidam, maiorem nobis aquæ copiam parabimus.

De aqua vitæ extrahenda. CAP. III.

**A**QUA, quam vitæ dicimus, ita extrahitur. Accipitur vinum validum, & generosum, ex locis siccatissimarum, veluti ex monte Vesuio, vulgus *gracum* vocat, vel protropon, siue *tachrymā*. Hoc obtorto vase vitreo balneo, vel cineribus, vel longo collo extillabis, cōsumit tertiam partem excipies, reliquum seruato, nam in perfectum, & acre acetum conuertitur, est enim vini calidius, nam anima, subtilis pars exempta est. Extillatum denuo distilla, & hoc iterum, semper tertiam partem adsumendo. Inde vas longioris, & angustioris colliparetur, scilicet tricubitale, vulgus *matarazzo* vocat, & hoc iterum extilletur, tandem lummo vasis ori superimponatur, & pergamento operiatur, & pileus indatur, ac succenso igne, tenuissimus vini spiritus omnia peruadens in subiectam paropsidem dilabitur, phlegma, cui transitus denegatur, in fundo residet. Argumentum perfectæ purgationis à phlegmate erit, si in ea lintea maderet, & accensum comburatur totum, vel si in plana tabula proiciatur, accensa flamma, nil madoris in ea, immò nec vestigium relinquat. Sed totum negotium hinc pendet, vt extrema vasis ora exactè constipentur, glutinenturque, ne subtilissimi spiritus tenui quouis spiramento euadant, & in auras resoluantur. Res glutinationi aptior nulla erit, nisi boum vesica, vel aliorum, nam in latiusculas tenuiolas dissecta, & maderacta, si vbi res sum ora coeunt, obuoluantur, ligeturque, expirantes vapores sola coarctare potest. Id in eius distillatione obseruabis. Excalescentibus prunis vas feruet, & per vasis collum ardentissimus vini spiritus ascendit, infra feruet, supra friget, vsque donec in pileum ascenderit, tunc frigiditas